



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in praecedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

2. Sacerdotalem, &c. Confirmatio, Innovatio, & extensio Constitutionis
Alexandri VII. de datis, & promissis pro Justitia, vel Gratia apud Sedem
Apostolicam obstinenda: anno 1699.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](#)

A N N O
1699.

tutes distinctæ, non cogitando, quod fint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult: Et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit ad eam virtute prædictus, quācum cum virtuti amplius affixus non est.

XIX. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & desinteresata, nec ipsum amorem velit amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus à nobis vult.

X X. In confiendo debent animas transformatae sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum: Non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

XI. Sancti mystici excluderunt à statu animalium transformatarum exercitationes virtutum.

XII. Quamvis hæc doctrina esset pura, & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata; Antiqui Pastores non proponebant paucum multitudini jussorum nisi exercitia amoris intercessati eorum gratia proportionata.

XIII. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii sunt.

Non intendimus tamen per expressam Propositionem hujusmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eadem praesentes literæ omnibus faciliter innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae generalis in Monte Citorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquant, ita ut sic publicatae omnes & singulis, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, & intimatae fuissent: Utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eadem prorsus Fides, tamen in Judicio, quā extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam sub anno Piscatoris, die 12. Martii, anno Christi 1696. Pontificatus nostri octavo.

J. F. Card. Albanus.

Anno à Nativitate D. N. Iesu Christi 1696 Indictione septima, die vere 13. Mensis Martii, Pontificatus autem SSmi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Innocentii divinæ providentia Papæ XII, anno ejus octavo, supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Magna Curia Innocentiana, in acie Campi Floræ, & aliis locis solitum, & consuetis urbibus, per me Franciscum Perinum, eudem SSmi D. N. Papæ Curjorem.

Sebastian, Vatellus Mag. Curf.

Confirmatio, Innovatio, & extensio Constitutionis Alexandri VII. de datis, & promissis pro Justitia, vel Gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda: anno 1699.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sacerdotalem, & Regiam Urbem nostram immensis divinae largitatis muneribus decoratam, quemadmodum inter omnes per universum terrarum Orbem Ecclesiæ solicitudini nostræ divinitus demandatas peculiari affectu diligimus; Sic mundam, & immaculatam custodire satagimus, ac omni, quo possumus, studio laboramus, agnoscentes profectò, quācum deceat, ut quæ per B. Petri Sedem Caput Orbis effecta est, exempla bonorum

operum in corpus omne diffundat; Ibique potissimum charitatis, justitiae, virtutumque omnium splendor effulget, ubi divinæ Fidei dispensantur oracula, & Christiani viget Sacerdotii Principatus.

Quoniam verò ejusdem Almae Urbis, Romanæque Curiae decori nihil æquè videtur officere, quam si Justitiae, Gratiaeque negotia, quæ magno numero indies ex omnibus Catholicæ Ecclesiæ partibus ad Sedem Apostolicam deferuntur, non ea, qua decet, integritatè, & ab omni procul avaritiae suspicione expediantur; Propræterea fel. rec. Alexander Papa VII, Prædecessor noster nonnullorum Romanorum Pontificum, & signanter recol. me. Bonifacii VIII. & Gregorii XIII. pariter Prædecessorum vestigia inhærendo, eorumque Apostolicas Constitutiones hac de re editas innovando, & ampliando, quasdam suas in forma Brevis desuper literas promulgavit, tenoris qui sequitur, videlicet: Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam. Inter gravissimas, multipliques curas, quæ ex debito pastoralis officii humilitati nostræ divinitus commissi Nobis assidue incumbunt, illam peculiari studio amplectimur, ut Justitiae, & Gratiae expeditiones, quæ apud Sedem Apostolicam indies obtainentur, ea, qua pars est, rectitudine peragantur, nec perniciose cujusquam circa illas excelsu Romanæ Curiae existimatio ullatenus laedatur, sed ipsa Curia in omnibus præclaræ semper splendeat laude integratæ, & abusus quicunque ab illa procul arceantur. Quapropter operæ pretium facturos Nos existimamus, si ea, quæ à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris simili Consilio provide sancta sunt, ut in posterum firmius observentur, innovemus, illaque declaremus, & extendamus, prout in Domino arbitramur ratione esse consentaneum.

Dudum siquidem emanarunt à fel. record. Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris literæ tenoris, qui sequitur, videlicet: Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotens Patris, & Fili, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra, omnes Clericos, Religiosos, & Laicos utriusque sexus, sive sint familiares Curiae, sive alii undecunque, qui aliquod pactum fecerint, seu aliquid parvum, vel magnum promiserint, vel promissionem repperint, aut ex pacto, sive promissione occulta, vel manifesta facta sub generalibus, & plenariè non expressis, sive sub specialibus, & expressis aperte verbis quicquam derident, aut repperint, magnum, vel parvum, vel promissionem de quacunque re, aut utilitate, propter hoc consequenda fecerint, vel repperint pro aliqua Justitia, sive Gratia pro se, aut pro alio in causis, vel Judicis, seu alias per literas Apostolicas, & quibuscum modo apud Sedem Apostolicam obtainenda.

Et hanc sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes duximus extendendam.

Illos quoque, qui aliquem sciverint culpabilem in prædictis, & Nobis intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad Nos verbum fideli perferatur, simili decernimus sententiae subiacere.

Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo predicatorum (absque speciali mandato) nostræ absolutionis Beneficium valeat obtinere; nisi forsitan ad Nos habere accessum non posset in mortis articulo constitutus: nec etiam ad Absolutionis gratiam admittatur, nisi prius, quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur.

Justitiam verò, sive Gratiam sic obtentam nullius prorsus esse momenti volumus; omnique statuimus carere effectu, & robore firmitatis.

Sed & scienter utentes ipsis simili sententia excommunicationis adstringimus, & reservantes No-

A N N O
1699.

ANNO
1699.

bis absolutionem eorum cum præmissis in omnibus ad poenas similes obligamus.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Ab ipso Pontificatus nostri principio, quā maximē possumus, emittimur, atque contendimus, ut Domus, & Curia nostra à fōrdibus expurgentur.

Cui salubri Consilio incumbens fel. rec. Bonifacius Papa VIII. excommunicavit, & anathematizavit omnes Clericos, Religiosos, & Laicos utriusque sexus, five familiares Curiae, five undecunque alios, qui aliquod paſtū facerent, seu quid patrum, vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, five sub verbis generalibus, & plene non expressis, five specialibus, & aperte expressis facta quicquam darent, aut recipierent pro Justitia, five Gratia, five pro se, five pro alio in causis, vel iudiciis, seu alias per litteras Apostolicas, & quibuscumque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinenda, & eam sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantesque, & recipientes duxit extendendam. Illos etiam, qui sibi intra triduum non renunciarent eum, quem in culpa esse scirent, vel alicui, per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententia subiacere; ac decrevit, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam absque speciali mandato suo absolutionis beneficium valerer obtinere, nisi in mortis Articulo constitutus: Sed nec quisquam admitteretur ad Absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel etiam receperet. Justitia vero, five Gratiae expeditiones sic obtentae nullius profus essent roberis, vel momenti; & scienter illis utentes simili sententia innodavit, ac reservans sibi absolutionem eorum cum prædictis ad poenas similes in omnibus obligavit.

Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, ut plerique cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus adnixi, hujusmodi negotiorum expeditiones hac illas conquerientes, turpisimè nundinentur; alii alios, quos gratia præstare arbitrantur, donis, & pollicitationibus ambiant; quidam etiam se talium operam, atque industriam pretio, & munieribus quæsuisse affingant; Quæ cùm pessima sint, & Curiae prædictæ exsolutionem gravissimè offendant, in eos, qui talia agunt, animadverendum fore arbitrati, Constitutionem prædictam cum suis censuris, & poenis omnibus innovamus, easdemque omnes extendimus ad audentes quæcunque horum facinorum, que ad scriptum, dantesque illis, & alii supradictis auxilium, consilium, vel favorem.

Quin etiam eos omnes omni Beneficio, & Officio Ecclesiastico, & Sæculari, five temporali, five perpetuo ipso jure privamus, ac privatos esse declaramus, & præterea infamia subiectos perpetuò, ac inhabiles ad illa, & alia esse volumos. A quibus etiam, prout quaue res erit, tales poenæ exigatur, que cæteris sint exemplo.

Illi tamen, qui rem adhuc incognitam, compliquesque, fautores, & socios retexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominice millesimo quingeniesimo, septuagesimo quarto, Nonis Novembbris, Pontificatus nostri Anno tertio.

Cum autem subinde variae vulgatae fuerint prædictarum Bonifaci, & Gregorii Prædecessorum Constitutionum interpretationes, quarum aliqua ipsarum Constitutionum rigorem non sine eorum utilitatibus diminutione, & boni publici detrimento contra eorumdem Prædecessorum mentem nimium relaxant: hinc est, quod Nos omnem, quæ circa præmissa in posterum enasci posset, dubitationem tollere, & quamcunque speciem, suspicionem, & occasionem damnatae per Constitutiones hujusmo-

ANNO
1699.

di labis à Curia prædicta, quantū Nobis ex alto conceditur, perpetuò excludere cupientes, Morū proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine eadem præsertas Bonifaci, & Gregorii Prædecessorum Constitutiones cum omnibus, & singulis censuris, & poenis, ac aliis quomodo libet contentis in illis (sublata tamen revelandi obligatione) tenore præsentum perpetuò confirmamus, innovamus, & adversus queracunque non usum, seu contrarium usum, qui quoquomo prætendi posset, refutamus, & plenariè reintegramus.

Ac in eisdem Constitutionibus casus, in quibus aliquid promittitur, datur, accipitur, vel deponitur pro Justitia, vel Gratia, five in spiritualibus, five in temporalibus, & mixtis apud Sedem prædictam, & non solum ab ipso Romano Pontifice, verum etiam à quibuscumque ejus Ministris, Judicibus: & Officialibus, etiam Episcopis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & alia qualibet Ecclesiastica, vel mundana dignitate, & auctoritate prædictis, & fungentibus, aut ab aliis gratia, vel favore pollentibus, etiam eidem Summo Pontifici consanguinitatis, seu affinitatis gradu quoquaque conjunctis, seu attinentibus, etiam Laicis obtinanda in alna Urbe, aut in alio quoquaque loco, in quo dictam Curiam esse contigerit, comprehendendi decernimus, & declaramus.

Præterea Constitutiones hujusmodi non tantum in actionibus jure naturali, & divino prohibitis, quia malæ sunt, sed etiam in aliis, quæ ideo malæ sunt, quia jure humano, & prædictis Apostolicis Constitutionibus, ac præsenti nostra interdicuntur, locum habere.

Necnon mediatores five immediatos, five mediatos quotquot, & quicunque sint, & quavis dignitate, præminentia, auctoritate, favore, consanguinitate, atque affinitate, ut præmissum est, poleant, & præfulgeant.

Ac etiam promissiones, seu verba promissoria, dationes, & receptiones factas ob bonum finem comprehendere, nec earum dispositionem, ac poenas evitari posse in casibus, in quibus esset suspicio mali.

Deinde illos etiam comprehendere, qui pro aliorum Justitia, vel Gratia quomodo libet impedienda, vel differenda aliquid dant, & recipiunt, vel depoñunt, promittunt, seu pollicentur, unde alii damnum, vexatio, vel molestia quomodo quicunque inferri, & resultare posset, & mediatores quoscumque immediatos, five mediatos.

Insuper quæcumque verba, seu signa etiam æquivoca quovis modo apta inducere quamcunque obligationem justitiae, aut fidelitatis in principali, seu mediatore, etiam sub titulo remunerationis, vel gratitudinis à Constitutionibus supradictis prohiberi.

Quinimo non licet quicquam promittere, dare, vel accipere quibuscumque Judicibus, Ministris, Officialibus, & aliis auctoritatibus, aut potestatibus habentibus, nec quibuscumque Mediatoribus pro defensione Juris quæstii, five executione querendi, etiam ad redimendam injustam vexationem, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis decernimus pariter, & declaramus.

Ad hæc dationes, promissiones, & acceptationes pro Guberniis, vel aliis quibuscumque Officiis, & munieribus etiam minoribus obtinendis, five pro unicavice, five in singulos annos, aut mensis, vel alter quomodo quicunque à Constitutionibus prædictis interdici, neque Judicibus, Ministris, ac Officialibus pro Gratia, vel Justitia obtinenda, etiam in his, quæ dependent ab eorum arbitrio, & ad quæ obligationes Justitiae non tenentur, quicquam dare, aut promittere, nec ipsis accipere licere.

Neque etiam permisum esse Officialibus, vel Ministris dictæ Sedis in Provisionibus, seu earum occasione quorūcunque Officiorū, etiam jurisdictionem,

ANNO
1699.

ctionem, vel ejus exercitium annexum non habentium imponere Pensionem ullam, responcionem, præstationem, vel onus, seu partem aliquam commodi, vel emolumenti ad sui, vel alicujus alterius cuiuscunq; favorem reservare, absque expressa, & speciali in singulis casibus nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis Licentia in scriptis in singulis casibus ab utraque parte obtinenda.

Insuper exigentes à partibus, vel alii interesse habentibus, seu Agentibus, ac Mediatoribus quibuscumque pollicitationes, promissiones, pacta, vel recipientes aliquid sub affectione, quod Judicum, Ministerorum, Officialium, aut Magnatum, seu aliorum quorumcunque operam, auctoritatem, vel Officia pretio, vel muneribus, aut promotionibus hujusmodi comparaverint, seu quæsiverint.

Nec non pollicitantes, promittentes, offerentes, ac tradere tentantes, licet pollicitatio, promissio, & oblatio non fuerint acceptatae, neque traditio secura, nullumque habuerint effectum.

Ac etiam illos, qui, ex eo quod gratias, & favores ipsis ob familiaritatem, obsequia, ac servitia propriis Dominis, vel aliis præstata debitos, seu ab ipsis speratos in aliorum cum propria ejusmodi iuris, vel spei jactura commodum & Beneficium transferunt, convertunt, & impendunt, pro Gratia, seu Justitia pro eis obtinenda, aliquid recipiunt, sub memoratis Constitutionibus contineri, illarumque pecnis, & censuris subiectos esse.

Pro actuali verò labore circa expeditionem imperatorum non licere Officialibus, Curialibus, & aliis quibuscumque recipere, nec illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci, nisi mercedem labori convenientem.

Judicibus autem, Officialibus, & Ministris quibuscumque, quibus incumbit expeditio Gratiae, minime permitti quidquam recipere, neque illis polliceri, vel cum eis pacisci, etiam ratione celerioris, aut fasiliors expeditionis.

Quin etiam illicitum esse quidquam magnum, vel parvum Judicibus, ac Ministris quibuslibet offere, promittere, pacisci, seu polliceri, dare, vel ipsis recipere mediare, vel immediatè, etiam quod eorum animum movere non posse, pro Gratia, vel Justitia obtinenda.

Denum supradictarum Constitutionum Dispositionem, censuras, & poenas non censi abilitas, vel sublatas ob scientiam, patientiam, seu tolerantiam Romani Pontificis per quemcumque etiam longissimi temporis cursum, nisi speciali licentia, vel induito in unoquoque casu à singulis partibus in scriptis particulariter obtinendo fuerint expresse remissa, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore paribus decernimus, statuimus, & declaramus.

Præfatasque Constitutiones, ac censuras, & poenas in eis contentas ad omnes, & singulos casus supra expressos, quatenus opus sit, extendimus, & ampliamus.

Præterea easdem Bonifacii, & Gregorii Prædecessorum Constitutiones per alteram p[ro]m[ulg]am. Clementis Papae VIII. Prædecessoris pariter nostri, que incipit. Pro commissa, Anno Incarnationis Dominiæ 1592. decimo octavo Kalend. Septembri editam ad ceteras Ditionis temporalis S. R. E. Civitates, & loca immediate subjecta (præterquam quoad bona Communitatum) minime extensas suisse, neque per hanc nostram extendi; Sed eos quidem omnino comprehendere, qui in aliis locis ejusdem Status Ecclesiastici, & cuiusvis alterius partis Mundi existentes pollicentur, promittunt, paciscuntur, mittunt, vel dari faciunt per litteras, vel mediatores, vel aliter quomodounque, & qui ab eis recipiunt contra dictarum Constitutionum dispositionem quidquam magnum, vel parvum pro Ju-

stitia, vel Gratia apud Sedem prædictam obtinenda, declaramus pariter, & statuimus.

Postremò tametsi credamus, & speremus in Domino, nunquam eventurum, ut aliquis ex Venerab. Fratribus nostris Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatis, & Patriarchis, aut in quacunque alia etiam superiori Ecclesiastica quantumvis sublimi, & speciali nota digna constitutis dignitate in præmissis quoquomodo delinquit; quis tamen diligentiam nostram in removendis ab eadem Curia abusibus quibuslibet abundare potius, quam in aliquo deficere volumus, etiam Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates, ac Patriarchs, ceterosque in quacunque alia etiam prædictis superiori, ac quantumvis sublimi, & speciali nota digna constitutos dignitate, etiam si per nostras, & Cancellariae nostræ Apostolicæ regulas cautum sit, quod illi Constitutionibus per Nos editis, & edendis non comprehendantur, nec comprehensi censeantur, nisi in eisdem Constitutionibus facta fuerit ipsorum expressa mentio, in prædictis Constitutionibus, ut præmittitur, declaratis, & extensis, ac in præsenti nostra quodad censuras comprehendendi, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore similibus statuimus.

Porro xenia solita, esculenta, & poculenta, quæ Judicibus, Ministris, & Officialibus Romanae Curie exhiberi consueverunt, præfatis Prædecessorum nostrorum litteris, ac præsentibus nostris minime prohibita fuisse, nec prohiberi decernimus.

Declarantes per præsentem nostram Constitutionem non censi abrogataam Constitutionem similis recordat. Pii Papae V. etiam Prædecessoris nostri contra ambientes Dignitates, & Officii jurisdictio- nis administrationem habentia, eaque pretio, seu promissione procurantes, qua incipit: Etsi Romanis, &c. Nonis Decembri, Anno sexto ejus Pontificatus emanata, sed illam, ac ceteras ipsius Pii Prædecessoris & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum quorumcunque Constitutiones, Ordinationes, Canones, & Decreta in hac materia, vel circa eam haftenus edita, ac nostram, & Cancellariae Apostolicæ regulam 67. qua statuimus, ut Officiales Romanæ Curie prædictæ nihil exigant ultra debitum, in suo robore remanere.

Ac decernentes præsentes litteras, & in eis contenta quacunque, etiam ex eo quod prædicti, & ali quilibet etiam speciali nota, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodo libet prætententes, illis non censerint, nec ad ea vocati, & audit, seu cause, propter quas eadem præsentes emanarunt, adductæ, verificatae, aut justificatae ullatenus fuerint, vel ex alia quacunque quantumvis justa, legitima, juridica, & privilegia ta causa, colore, prætextu, occasione, & capite etiam in Corpore Juris clauso nullo, unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, seu intereste habentium, & aliorum quorumcunque consensu defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, limitari, ad viam, seu terminos juris reduci, in jus, vel controvertiam revocari, aut adversusillas quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium imperari, seu etiam motu simili concessa quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsis præsentibus sub quibusvis simili, vel dissimili Constitutionum, ac declarationum, & extensionum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, seu aliis contrariis dispositionibus unquam comprehendendi, aut comprehensas censi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenariè reintegratas esse, & censi, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis prædictis,

ANNO
1699.

& aliis, ad quos spectat, & pro tempore quando-
cunque spectabit, cujuscunque qualitatis, ordinis,
gradus, & conditionis fuerint, perpetuo inviola-
biter, & inconcusse observari.

Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, &
singulis per quoscunque Judices Ordinarios, & De-
legatos, etiam caufarum Palati Apostolici Auditores,
ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam
de latere Legatos, nec non Curiae, & Urbis præ-
fatarum Judices, Officiales, & Ministros, & alios
quoslibet quavis auctoritate, & potestate funge-
tes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuique
quavis altero judicandi, & interpretandi Facultate,
& auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irri-
tum, & inane, si quid secus super his à quoquam
quavis auctoritate scienter vel ignoranter contige-
rit attentari.

Non obstantibus de jure quæstio non tollendo,
& quod Cardinales non comprehendantur sub re-
gulis, & constitutionibus editis, & edendis, nisi in
eisdem facta fuerit ipsorum expressa mentio, ac ca-
teris nostris, & Cancellariae præfatae regulis,
aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apo-
stolicis, etiam Conciliaribus, nec non earumdem
Urbis, & Curiae, ac illarum Tribunalium quorum-
vis, & aliis quibuslibet etiam juramento, confirmatione
Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis
stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemo-
rabilibus : Privilegiis quoque, indultis, motuum
propriorum cedulis, Chirographis quorūcunque
Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum
manu subscriptis, ac litteris Apostolicis sub quibus-
cunque verborum tenoribus, & formis, ac quibus-
vis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis effi-
caciōribus, & insolitis clausulis, & Decretis, etiam
irritantibus, in genere, vel in specie, etiam motu
simili, Consistorialiter, ac alias quomodolibet in
contrarium præmissorum concessis, confirmatis, &
innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam
pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque
totis tenoribus specialis, specifica, expressa, &
individua, ac de verbo ad verbum, non autem per
clausulas generales idem importantes mentio, seu
quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia ex-
quisita forma ad hoc servanda fore, illorum omni-
um, & singulorum tenores, formas, & occasio-
nes, ac alia etiam speciali expressione digna præsen-
tibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis,
& servatis respectivè habentes, illis aliis in suo ro-
bore permanentibus, ad præmissorum effectum spe-
cialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse
volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut autem eadem præsentes litteræ omnibus in-
notescant, & nemo illarum ignorantiam allegare
valeat, volumus, ut illæ, seu earum exemplum ad
valvas Basilice Principis Apostolorum, ac Datariae
nostræ, Cancellariae prædictæ, necnon in aie Cam-
pi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Cursori-
bus nostris, prout moris est, publicentur, & affigan-
tur, quæ sic publicatae & affixa omnes & singulos
perinde affiant, ac si illis personaliter intimata
fuissent.

Quodque illarum transumptis, etiam impressis,
manu Notarii publici subscriptis, & sigillo aliquius
personæ in Ecclesiastica dignitate constituta munici-
tis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ad-
hibeat, qua ipsi præsentibus adhiceretur, si for-
rent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud
Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris
die 2. Maij 1656. Pontificatus nostri Anno secundo.

Quamvis autem Constitutionis præfata tenorem
ab omnibus Romanæ Curiae Jūdīcib⁹ & Ministris
religiōsē servari publicē per se pateat, nobisque
maximē compertum sit, & quamplurimis optimis,
integrisque Advocatis, Procuratoribus, Agentibus,

ANNO
1699.

Expeditoribus, aliisque negotiorum Gestoribus, &
Officialibus eadem Curia, miserante Domino, abun-
det : nihilominus ad evitandas fraudes, quæ quan-
doque eveniunt, eo quia fortasse aliqui turpis luci
gratiā in Curia moram trahentes non cessant Curiam
ipſam apud exteris gentes diffamare cum eorum
Epistolis, notulis, seu litiis, quas transmittunt Prin-
cipalibus, seu Correspōndalibus, in quibus petunt
pecunias pro muniberis dandis, vel affingunt mu-
nera dedisse Ministris Gratia, vel Justitia, aliisque
in dicta Constitutione Alexandri VII. contentis, de
nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum San-
cte Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & dilectorum
Filiorum Romanae Curie Prælatorum, quibus id
rei examinandum commisimus, Confilio, ha nostra
perpetuò valitura Constitutione preinserita Alexandri
Prædecessoris litteras cum omnibus & singulis
censuris, pœnis, aliisque in eis contentis confirma-
mus, approbamus, & innovamus, ac adversus
quemcunque non usum, seu contrarium usum, qui
quomodo prætendi posset, restituimus, & plenariè
redintegramus.

Eademque litteras, & in eis contenta quæcum-
que, etiam quoad Censuras & pœnas, omnes &
singulos Agentes, Expedidores, Procuratores, cæ-
terosque Curiales, negotiorum Gestores, aliasque
Personas tam Sæculares, & Ecclesiasticas, quam cu-
jusvis Ordinis, & Instituti, etiam necessario exprimendi,
Regulares ad Urbem missos, vel in ea exis-
tentes, & pro quibuscunque exteris, & forensibus
cujuscunque status & conditionis, & quacunque
dignitate, etiam maxima & maiore fulgentibus,
etiam speciali, & individua notâ digni sunt, etiam
Capitulis, & Religionibus suis Justitiam, aut Gra-
tiam procurantes, & Principalibus, seu Correspōn-
dalibus subientes, aut notulas transmitentes, sive
per Nuncium, aut alias quomodolibet etiam per in-
terpositas Personas significantes, aut insinuantes, se
pro imperanda Justitia, vel Gratia, aut postearum
dem impetracionem munera tradidisse, aut ea neces-
saria esse, sive animo revera munus dandi, sive af-
fingendi & simulandi id egerint, etiam sub praetextu
redimendæ vexationis omnino injustæ, & eviden-
tis, etiam in casibus, in quibus Principalis rem
possideat, aut quod salarium, seu honorarium ipsi
datum, seu promissum, aut alias consuetum labore
ac diligentia in negotio adhibitæ minus respondeat,
quodque Gratia, aut Justitia publicum Regionis,
vel Ecclesiæ bonum recipiat, aut alias quibuscunque
prætextibus in eadem Alexandri Constitutione
damnam, atque rejecit, vel forsan in futurum
pro excusatione allegandis, comprehendere; & ad
casus etiam, in quibus pro Gratia, vel Justitia apud
quoscunque extra Romanam Curiam ab Apostolica
Sede, vel ab Ordinariis ejusdem Romanæ Curiae Ju-
dicibus, aut etiam Apostolicæ Sedis Nuntiis, Lega-
tis etiam de Latere, & Prolegatis, specialiter de-
legatos obtinenda munera in Curia data, vel neces-
saria esse pro comparandis favoribus apud eosdem
delegatos, vel litteris commendatitiis, tam ante,
quam post obtentam Gratiam, sive Justitiam, etiam
sive quibuscunque modo dictis prætextibus quomo-
dolibet dictum, scriptum, assertum, & insinuatum
fuerit, extendi & locum habere, harum serie decer-
nimus, & declaramus.

Contravenientes vero ultra excommunicationis
eidem Sedi reservatae, privationis cujuscunque Be-
neficii, & Officii Ecclesiastici, & Sæcularis, tempo-
ralis, sive perpetui, ac infamæ penas in præfata Ale-
xandri Constitutione contentas, etiam amissionis,
seu extinctionis omnium & singularium pensionum
Ecclesiasticarum forsan obrentarum, nec non falsi,
furti, ac injuriarum Magistratui publico illatarum,
tam jure communi, quam Apostolicis Constitu-
tionibus, & Bannimentis generalibus Status no-

ANNO
1699.

fri Ecclesiastici contentis poenis teneri, & tanquam veros fures & falsarios, ac Magistratui injuriam inferentes puniri: Principales vero & Correspondentes cuiuscunque dignitatis & conditionis, tam Sæculares, quam Ecclesiasticos, & cuiusvis Ordinis, seu Instituti Regulares, etiam vigore quoruncunque privilegiorum specialiter nominandos, ubilibet existentes, & pecuniam solventes, transmittentes, aut solvi, vel transmitti mandantes directe, vel indirecte ad effectum dandi munera, vel corundem pretium pro Ministeri Gratiae vel Justitiae ram in Curia existentibus, quam extra Curiam ut supra delegatis, nullo ex superiori rejectis, vel alias forsan sub quocunque quaestio colore in posterum allegandis praetextibus eos excusante, ultra poenas in dicta Alexandri Constitutione contentas, etiam nullitatis ipso jure Gratiae, Decreti, Rescripti, vel Sententiae, immo & amissionis caufæ, crediti, vel juris, super quod agebatur, ac perpetua inhabilitas ad quæcumque Beneficia Ecclesiastica, etiam de Jure Patronatus Laicorum, & ad alias quascunque gratias à Sede præfata in posterum obtainendas, incurrire; Immo & in singulis prædictis casibus solum conatum ad earundem penarum incursum sufficere, etiamsi pecuniae transmissæ non fuerint, sed tantum notulis, Epistolis, aut alias quomodolibet à Principalibus in Partibus petite, vel ab iisdem Principalibus respectivè oblatæ, omnibus, qui rem adhuc incognitam, complicesque, fautores, & socios relexerint, impunitate concessa, statuimus, atque decernimus.

Episcopos autem, Archiepiscopos, similesque personas poenam dumtaxat in dicta Alexandri Constitutione specificata teneri volumus, & mandamus.

Revelantibus vero, seu denunciabitibus, dummodo indicia saltem ad torturam, vel ad transmittendam inquisitionem contra contumaces sufficientia subministraverint, ducentorum ducatorum auri de Camera præmium ex eadem Camera nostra solvendum constituiimus & assignamus.

Et ut in posterum facile apparere valeat, quinam sint illi, qui in talibus notulis, & listis excedunt, vel quocunque modo contraveniunt, volumus, & mandamus, ut quilibet Agens, Expeditor, negotiorum Actor, Procurator, seu quilibet Curialis, aut quicunque alius, ut supra, ad Gratiam, vel Justitiam in Romana Curia impetrandam utcumque deputatus, etiam Ecclesiasticus, Sæcularis, seu cuiusvis Instituti etiam necessariò exprimenti Regularis, notulas, seu listas omnium & singularium expensarum, quoties eas Principalibus, seu Correspondentibus extra Curiam transmittet, teneatur propria manu subscriptare; Et nihilominus post Gratiae, seu Causæ per sententiam, vel Decretum vim sententiae habens, aut per rescriptum, in quibuscumque Tribunalibus expeditionem, vel quocunque concordia, renunciatione, morte Principalis, aut alia quavis causa mediante, cessionem, exceptis dumtaxat negotiis, quæ in ejusdem S. R. E. Cardinalium, seu alii Congregationibus extra folium, ut vocant, perfici solent, integrum omnium & singularium expensarum per se, vel per alios in toto negotii decursu factarum notulam, iis etiam repetitis, quæ in aliis notulis forsan ut supra transmissæ continebantur, atque etiam summam certam pro honorariis sibi debitis, nec non omnes pecunias à Principalibus, seu Correspondentibus eo usque habitas clare & distinctè iterum propriâ manu subscriptare, & ad dictos Principales, seu Correspondentes transmittere, ejusque copiam integrum & uniformem intitulatam duplicatum note similis transmissæ in Partibus ad tales Principalem, seu Correspondentem pariter propriâ manu subscriptam intratres menses à die expeditionis, seu scientie cessa-

tionis negotii computandos, Notario Causæ, vel Officiali ad hunc effectum in quibuscumque Gratiae Tribunalibus specialiter deputando re ipsa exhibere, & consignare, soluta eidem congrua mercede ratione laboris tantum per deputatam à Nobis Congregationem taxanda de pecuniis Principalium, pro quorum indemnitate id agitur, ultra quam sub poenis infra scriptis nihil amplius accipere licet; ipsi vero Notarii, & Officiales eamdem copias, seu duplicata exhibitionem in peculiari libro adnotare, ac præfatas copias saltem per decennium conservare secretæ, ita ut nemini nisi interesse habenti, vel denunciare intendentí, de expressa tamen Judicis, seu alterius Superioris, apud quem negotiorum actum fuit, licentia ostendere, sub poenis etiam corporis afflictivis, eorumdem Judicium, vel Superiorum arbitrio infligendis, omnino debeat & teneantur.

Quod si prædictæ personæ, ut supra specificatae, notulam, seu listam à prædicta ab ipsis subscripta diversam & diffinitem transmiserint ad Principales, vel Correspondentes, vel transmiserint listam, seu notulam ab ipsis non subscriptam, & in Epistola separata, vel per Nuncium, aut indirecte quocunque modo alias expensas, vel partitas addiderint; tunc si partite descriptæ in notula, seu Epistola separata sint confitæ, alteratæ, aut falsæ, vel contingant munera data, vel danda Ministeri Justitiae, vel Gratiae, sive omnibus aliis personis expressis in d. Constitutione Alexandri VII. ultra omnes alias poenas supra specificatas plecti debere tanquam veros fures, falsarios, ac injury afficienes Magistratum respectivè poenis furti, falsi, & similibus in jure, Constitutionibus Apostolicis, & Bannimentis generalibus Status nostri Ecclesiastici stabilitis contra veros fures, falsarios, & injury afficienes Magistratum, juxta qualitatem partitæ vel summae alteratæ, falsæ, vel confitæ: Si autem partite sint vere, & non de prohibitis, non tamen descriptæ in duplicato in Actis exhibito ut supra; tunc tanquam contravenientes huic Constitutioni plecti posse poenam arbitriari etiam corporis afflictivæ ultra amissionem crediti arbitrio Judicis ut supra, ad quem effectum easdem notulas, seu listas, aut etiam Epistolas rerum manu subscriptas pro plenis probationibus habendas esse, vel in eorum defectum probationes illas, quæ pro crimen Simoniae evincendo de jure satis essent, sufficere statuimus, atque decernimus.

Itaque omnibus & quibuscumque, quos ad Romanam Curiam deinceps pro Gratia, vel Justitia consequenda recurrere ex qualibet Mundi parte conigerit, liberum erit in posterum & expeditum, fidelicet exactamque omnium pecuniarum à se in præfatis negotiis impensarum, & impendendarum rationem mediabantis notulis ut supra prescriptis exigere, ac ubi in iis aliquid pro muniberis in praesertim Alexandri Constitutione prohibitus adnotatum reperirent, certò se à suis Actoribus, seu Procuratoribus deceptos & fraudatos agnoscere, adeoque à transmittendis pecuniis abstinere, si que se in præfatis notulis quovis modo gravatos prætenderint, apud Judicem, seu Ministrum Causæ, vel Gratiae, seu ad alium, quem maluerint ejusdem Romanæ Curiae Judicem Ordinarium (qui etiam ex Officio, & per Inquisitionem procedent) etiam mediante Procuratore nostro Fisci generali, cui, suppremis Principalium nominibus, agendi Facultatem concedimus, instare pro justitia consequenda, & prædictarum poenarum executione.

Decernentes præsentes litteras, & in eis contenta quocunque, etiam ex eo, quod in premissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & audiiti, seu caufæ, propter quas eadem præsentes emanarunt, sufficienter adductæ, verificatae, aut justificatae non fuerint, vel ex alia quantumvis legitima &

privile-

ANNO
1699.

ANNO
1699.

privilegiata causa, colore, pretextu, & Capi-
te etiam in corpore Juris clauso nullo unquam
tempore de subreptionis, obreptionis, aut nul-
litatis vitio, vel intentioni nostrae defectu nota-
ri, impugnari, restringi, limitari ad viam, seu
terminos juris reduci, aut aduersus illas quod-
cumque juris facti, vel gratia remedium im-
petrari, seu etiam motu proprio concessa quen-
piam in Judicio vel extra illud uti, seu se ju-
vare ullo modo posse: fed ipsa praesentes literas
semper firmas, validas & efficaces exstere &
fore, ac ab omnibus & singulis praedictis & ab
aliis, ad quos spectat, & pro tempore quan-
tocunque spectabit, cuiuscumque qualitatis,
dignitatis, ordinis, gradus, & conditionis exti-
terint, perpetuo & inviolabiliter observari; sic
que per quoscumque judices Ordinarios, & De-
legatos, etiam Castrorum Palatii Apostolici Au-
ditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardina-
les etiam de latere Legatos, nec non Curiae, &
Urbis prefatarum judices, Officiales, & Minis-
tris, & alios quoilibet quavis autoritate, &
potestate fungentes & functuros, sublata eis &
eorum cuiilibet quavis alteri Judicandi & inter-
pretandi facultate & auctoritate, judicari & de-
finiri debere, ac irritum & inane, si quid fecis-
super his à quoquam quavis auctoritate scienter
vel ignoranter contigerit attentari.

Quo circa universis & singulis locorum Or-
dinariis per quacumque Provincias, & Regna
Christiani Orbis constitutis, & quibusvis no-
stris & Sedis Apostolicae etiam de latere Legatis,
ac Vicelegatis præcipimus & mandamus, ut in
suis quisque Civitatibus, Diœcesis, Provin-
cias, & locis praesentem nostram Constitutionem
publicari, & inviolata observari cutent, & ad-
versus contravenientes, sive Clericos, sive Laï-
cos quacumque dignitate fulgentes, tanquam in-
variantes, & infamantes Curiam Ecclesiasticam
Romani Pontificis, sive etiam Capitulares, fer-
vata forma à Concil. Trid. prescripta, immo
etiam cujusvis Ordinis, aut Instituti etiam ne-
cessariò exprimendi Regulares, aut alijs quo-
modolibet exemptos, & contra Abbates, sive
alios quoscumque Prælatos jura quasi Episcopalia
habentes cum territorio separato, ii, qui vici-
niores fuerint, tanquam nostri & Sedis Aposto-
licæ in hac parte specialiter delegati per viam
accusationis, vel denunciationis, aut inquisicio-
nis, & ex mero officio, prout eis videbitur,
procedant, reisque culpabiles repertos condignis
penis, ut supra affiant, invocato etiam, si
opus fuerit, auxilio Brachii Sæcularis.

Non obstantibus de jure quæsto non tollendo,
ac ceteris nostris, & Cancellaria regulis, alijs
que Constitutionibus; & ordinationibus Aposto-
licis etiam Conciliaribus, nec non earundem
Urbis, & Curiae, earumque Tribunalium, &
alijs quoilibet, etiam juramento, confirmatione
Apostolica, aut alia quavis firmitate roboratis
statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus,
privilegiis quoque, indultis, ac literis Aposto-
licis, sub quibuscumque verborum tenoribus &
formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum
derogatoriis, & alijs efficacioribus, & insolitis
clauulis, & decretis etiam irritantibus, in
genera, vel in specie, etiam motu simili, &
consistorialiter, ac alijs quoilibet in contrari-
tum præmissorum concessis, confirmatis, & in-
novatis. Quibus omnibus, & singulis etiam
si pro sufficienti illorum derogatione de illis,
eorumque totis tenoribus specialis, specifica, ex-
pressa, & individua, ac de verbo ad verbum,
non autem per clausulas generales idem impor-
tanties, mentio, seu quavis alia expressio facien-
da, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc ser-

vanda foret, illorum omnium, & singulorum
tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam
speciali expressione digna præsentibus pro plenè
& sufficienter expressis, insertis & servatis ref-
pectivè habentes, illis alijs suo labore perman-
surs ad præmissorum effectum specialiter & ex-
presè derogamus, ac derogatum esse volumus,
ceterisque contraria quibuscumque.

Ut autem eadem præsentes literæ omnibus inno-
tescant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, seu earum exemplum ad
valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Dataria
nostræ, Curia generalis, & Cancellaria prædictæ,
nec non in acie Campi Flora de eadem Urbe per
aliquem ex Cursitoribus nostris, prout moris est,
publicentur & affigantur, que sic publicatae & af-
fixæ omnes & singulos perinde affiant, ac si illis
personaliter intimata fuissent.

Quodque illarum transumptis etiam impressis,
manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus
personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munis-
tis eadem prorsus fides in judicio & extra illud ad-
hibeat, quæ ipsi præsentibus adhiceretur, si fo-
rent exhibite vel ostenta.

Nulli ergo omnino hominum licet paginam hanc
nostræ confirmationis, approbationis, innovationis,
restitutioñis, reintegrationis, decretorum, declara-
tionis, statutorum, voluntatum, mandatorum, con-
stitutionis, assignationis, praecepti, & derogationis
infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis
autem hoc attentare præsumerit, indignationem
omnipotens Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli
Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Roma apud S. Mariam Majorem Anno
Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo
nogagelimo nono, tertio Kalendas Februarii,
Pontificatus nostri Anno nono.

B. Card. Prodaturius. J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia C. A. Fabronus

Phil. Porta.

Registrata in Secretaria Brevium.

Loco † Plumbi.

Anno à Nativitate Domini Nostrí JESU Chris-
ti millesimo septingentesimo, Indictione octava, die
verò octava Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi
in Christo Patris, & Domini Nostrí Domini
INNOCENTII Divina providentia Papa XII.
Anno nono: Supradicta litera Apostolica affixa, &
publicata fuerunt ad valvas Ecclesia S. IO. Late-
ranensis, Basilicae Principis Apostolorum; Cancella-
riae Apostolicae, Curia Innocentia in Monte Citaro-
rio & in Acie Campi Flora, ac alijs locis solitus, &
consuetis Urbis per me IO. Philippum Castiglione
ejusdem Sanctissimi D. Nostrí Papa Cursorem.
Decius de Camillis Magister Cursorum.

Breve Innoc. XII. quæ firmat privilegia Sabaudie
Ducum: anno 1700. In responso de Privilegio
à Nicolao V. Ludovico Sabaudie Duci conce-
to impressis Coloniae Agrip. an 1712.

III.

Ad Futuram rei memoriam.

Cuma dudum fel. record. Nicolaus Papa V. Prä-
decessor noster, tunc in humanis agentem Lu-
dovicum, dum vixit Sabaudie Ducem, specialis fa-
vore benevolentie prosequi volens, ut omnem ci tol-